



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

maximæ necessitatis , est porissimum sacramento-
rum ; sic ordo & confirmatio habent quādam ex-
cellentiam ratione ministerij , & matrimonium ra-
tione significationis . Nihil enim prohibet aliquid
esse secundum quid dignius, quod tamen non est di-
gnius simpliciter .

ARTIC. I V.

*Vtrum omnia sacramenta sint de necessita-
te salutis?*

363

4 d. 7. q.
1. a. 1. q.
2. d. q. 3.
a. 2. q. 1.

A D quartum sic proceditur . Videtur , quod om-
nia sacramenta sint de necessitate salutis . Illud
enim , quod non est necessarium , videatur esse super-
fluum . Sed nullum sacramentum est superfluum :
quia Deus nihil facit frustra . Ergo omnia sacramen-
ta sunt de necessitate salutis .

¶ 2 Præterea , Sicut de baptismo dicitur , Nisi
quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto , non
potest introire in regnum Dei ; ita de eucharistia
dicitur Ioan. 6. Nisi manducaveritis carnem filij ho-
minis , & bibereis eius sanguinem , non habebitis vi-
tam in vobis . Ergo sicut baptismus est sacramentum
necessitatis , ita & eucharistia .

¶ 3 Præterea , Sine sacramento baptiſmi potest
aliquis saluus fieri , dummodo non contemptus reli-
gionis , sed necessitas sacramentum excludat : ut in-
fra * dicetur . Sed in quolibet sacramento contem-
ptus religionis impedit hominis salutem . Ergo pari
ratione omnia sacramenta sunt de necessitate salutis .

S E D contra est , quod pueri salvantur per solum
baptismum , sine alijs sacramentis .

RESPONDEO dicendum , quod necessarium re-
spectu finis , (de quo nunc loquimur) dicitur aliquid
dupliciter . Vno modo , sine quo non potest haberi fi-
nis : sicut cibus est necessarius vitæ humanæ . Et hoc
est simpliciter necessarium ad finem .

Alio modo dicitur esse necessarium id , sine quo
non habetur finis ita conuenienter ; sicut equus ne-
cessarius est ad iter . Hoc autem non est simpliciter

ne-

necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria, duo quidem personæ singulari: baptismus quidem simpliciter & absolute, pœnitentia autem supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiæ: quia ubi non est gubernator, populus coruet, ut dicitur Proverbiorum undecimo. Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit baptismum, extrema unctione pœnitentiam: matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conseruat.

Ad primum ergo dicendum, quod ad hoc quod alii quid non sit superfluum, sufficit quod sit necessarium primo vel secundo modo. Et sic sunt necessaria omnia sacramenta, sicut dictum est *.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum Domini est intelligendum de spirituali mandatione, & non de sola sacramentali: ut Augustinus ⁴ exposuit super Ioannem.

Ad tertium dicendum, quod licet omnium sacramentorum contemptus, sit saluti contrarius: non tamen est contemptus sacramenti, ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis: alioquin omnes qui non accipiunt ordinem, & qui non contrahunt matrimonium, contemnerent huiusmodi sacramenta.

QVÆST. LXVI.

De pertinentibus ad sacramentum baptismi, in duodecima articulos diuisa.

DEinde considerandum est de singulis sacramentis in speciali. Et primo, de baptismo. Secundo, de confirmatione. Tertio, de eucharistia. Quartto, de pœnitentia. Quinto, de extrema unctione. Sexto, de ordine. Septimo, de matrimonio.

¶ Circa primum occurrit duplex consideratio. Prima, de ipso baptismo. Secunda, de preparatorijs ad baptismum.

G 3

¶ Cir-

*in corporo
re art.**tra. 26. et
27. 60. 9.*